



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 20. Neapolitanorum seditio adversus Ferdinandum Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

rem infelix nuncius, quo percepit, totam suam supellectilem a Capuanis direptam, Virginium ab Urfinis, ac Comitem Petilianum, longe omnium amicorum carissimos ad Carolum Regem desecisse: nil tamen magis vehementi dolore excruciatum Ferdinandi animum, quam Trivulcii perfidia, quem ad tantum scelus projectum fovere animum, nunquam credidisset: Tot ergo molestissimarum cogitationum concursu tantopere obrutus, atque invasus opprimebatur, ut hinc complurium proditorum metu, illinc proximo Gallorum incursum compulsus, præcipiti fuga, omnique pedum studio Neapolim reverteretur, quamvis probe conscius esset, nec ibi se quieti indulgere posse, donec de Capuanorum fato, ac molimine certior redderetur.

## §. XX.

*Neapolitanorum seditio adversus Ferdinandum Regem.*

Nec inanis erat Ferdinandi timor; vix enim urbem attigerat, cum ei nunciatum esset, a Neapolitanis, & Aver-  
Guicci. hist. Ital. lib. I. sub. fin. Albinus de bello gall. l. I. p. 133.  
 sensibus ad Carolum Regem Legatos fuisse missos, qui eidem obsequium sponderent; præterea civium seditio eo temporis momento, quo urbem ingressus est, recrudit, quam ut sedaret, frustraneo successu

Sæcul. XV.  
A. C. 1495.

successu præcipuos cives convocavit, eisque exposuit, quod armorum societates, quæ haud amplius secreta tenebantur, jamjam sancita foret, necnon certissime, ac brevi, si exiguo duntaxat tempore strenue urbem tuerentur, validæ omnino suppetiæ in eorum auxilium essent accursuræ; post hæc acerbum Patris, avi que sui regimen detestatus, illis pollicitus est, se lenitate ac clementia populi amorem denuo sibi conciliaturum; cum vero cives palam profiterentur, nolle se suaque extremæ Gallorum vi, atque periculo exponere, Ferdinandus tanto, quo subditos imperii severitate coercere posset, militum numero destitutus, nec in alterutra urbis arce securitati suæ satis consultum fore ratus, teste Guicciardino civibus indulgit, ut de concordia cum Galliarum Rege agerent, eosque a fidei sacramento paucis ante diebus sibi præstito absolvit, ac demum clientelæ, atque obsequiis, quæ a subditis suis jure exigere potuisset, ultro cessit, & unacum Joanna sua filia, ac Regina Avi sui olim conjuge triremes, quas in portu ad trajiciendum instructas tenebat, conscendit: ceteras vero naves, quæ ibidem in anchoris hærebant, comburi jussit, ne ab hostibus occuparentur. Denique omnes Proceres, quos ejus Pater, atque Avus in arce quadam custodiæ dari jusserat,

ex-

exceptis Rosciano Principe, & Comite Sæcul. XV. A.C. 1495.  
 Popoli, liberos dimisit, ipse vero urbe  
 excedere statuit, navibusque se commisit.

## §. XXI.

*Ferdinandus Ischiam secedens.*

Igitur conscensis tremibus in Ænariam  
 Insulam, quæ Ischia vulgo dicitur, at-  
 que ad oram regni Neapolitani trigesi- Albinus loc. cit.  
 mo ab urbe lapide sita est, secedit, haud  
 parum anxius, an ab arcis Præfecto re-  
 ciperetur; timebat enim, ne forte & ip-  
 se in hac rerum vicissitudine Regi suæ  
 fidei officium denegaret. Nec sane te-  
 meraria erat Ferdinandi suspicio; Præfe-  
 ctus enim nomine *Fustus*, veteranus mi-  
 les, ac amplissimis divitiis potens, cum  
 a Rege Neapolitano illis spoliari verere-  
 tur, eum excipere renuit, nisi solus, aut  
 non nisi uno comite stipatus accederet.  
 Rex, inde maris intemperie agitatus,  
 illinc securitatis necessitate compulsus,  
 non abnuvit conditionem; ast vix arcem  
 ingressus, tantæque perfidiæ indignita-  
 te commotus, proditorem invadit, il-  
 lumque, ut nonnulli referunt Scriptores,  
 gladio jugulat; hujus supplicio territi mi-  
 lites præsidarii Regi suo totius Insulæ  
 possessionem asseruerunt, atque illius ob-  
 sequio sese subjecerunt.

## §. XXII.